The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de mendacio (fol.5ra-rb)

1. Non omnis qui falsum dicit mentitur. si credit aut opinatur. uerum esse quod dicit.

   non enim omnis, qui falsum dicit, mentitur, si credit aut opinatur uerum esse quod dicit.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 3.3 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.414, ll.17-19).

2. Enunciationem cum uoluntate. ad fallendum prolatam manifestum est esse mendacium.

   quapropter enuntiationem falsam cum uoluntate ad fallendum prolatam manifestum est esse mendacium.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 4.5 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.419, ll.18-20).

3. Quicquid figurate fit. aut dicitur non est mendacium.

   Nec illis, quae de ueteribus libris mendaciorum exempla prolata sunt, terreri se dicunt: ubi quidquid gestum est, figurate accipi potest, quamuis reuera contigerit; quidquid autem figurate fit aut dicitur, non est mendacium.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 5.7 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.421, ll.7-10).

4. Quicquid ita fit ut nisi fieret iuste reprehenderetur. non est peccatum. ex quo conficitur. ut nec illa immundicia uocanda sit. quando euitandi eam nulla facultas est.

   quidquid enim ita fit, ut, nisi fieret, iuste reprehenderetur, non est peccatum. ex quo conficitur, ut nec illa inmunditia uocanda sit, quando euitandi eam nulla facultas est; habet enim etiam tunc, quod recte agat qui ea patitur, ut patienter ferat, quidquid non potest euitare.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 9.15 (CSEL 41, J. Zycha ed., pp.434-5, ll.23-26, 1).

5. Octo sunt genera mendacii. Primum est euitandum capitale mendacium longeque fugiendum. quod fit in doctrina religionis. ad quod mendacium. nulla conditione debet quisquam adduci.

   In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat, cum mentitur, quanto emergit ad octauum, tanto amplius, quanto deuergit ad primum.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 21.42 (CSEL 41, J. Zycha ed., pp.464-5, ll.27-29, 1).

Nam primum est ad euitandum capitale mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis: ad quod mendacium nulla condicione quisquam debet adduci.

Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.444, ll.16-18).

6. Secundum autem ut aliquem ledat iniuste. quod tale est. ut et nulli prosit. et obsit alicui.

   secundum autem, ut aliquem laedat iniuste: quod tale est, ut et nulli prosit et obsit alicui.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.444, ll.19-20).

7. Tertium quod ita prodest alicui. quod obsit alteri. quamuis non ad immundiciam corporalem.

   tertium, quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamuis non ad inmunditiam obsit corporalem.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.444, ll.20-22).

8. Quartum quod sit. sola menciendi. fallendique libidine. quod uerum mendacium est.

   quartum, quod fit sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.444, ll.22-23).

9. Quintum quod fit placendi cupiditate de suauiloquio. hiis omnibus penitus euitatis atque reiectis sequitur.

   quintum, quod fit placendi cupiditate de suauiloquio. his omnibus penitus euitatis atque reiectis sequitur sextum genus, quod et nulli obest et prodest alicui: uelut si quispiam pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens, ubi sit, nescire se mentiatur quocumque interrogante.

   Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.444, ll.23-27).

10. Sextum genus quod nulli obest et prodest alicui. uelut si quisquam pecuniam alicuius iuste tollendam. sciens ubi sit. se nescire mentiatur quocumque interrogante.

    quintum, quod fit placendi cupiditate de suauiloquio. his omnibus penitus euitatis atque reiectis sequitur sextum genus, quod et nulli obest et prodest alicui: uelut si quispiam pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens, ubi sit, nescire se mentiatur quocumque interrogante.

    Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.444, ll.23-27).

11. Septimum est quod nulli obest et prodest alicui. uelut si nolens hominem ad mortem quesitum prodere mentiatur.

    septimum, quod et nulli obest et prodest alicui excepto, si iudex interrogat: uelut si nolens hominem ad mortem quaesitum prodere mentiatur, non solum iustum atque innocentem, sed et reum, quia christianae disciplinae sit, ut neque de cuiusquam correctione desperetur neque cuiquam paenitendi aditus intercludatur.

    Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.445, ll.1-6).

12. Octauum genus mendacii est quod etiam et nulli obest et ad hoc prodest. ut ab immundicia corporali aliquem tueatur.

    octauum est genus mendacii, quod et nulli obest et ad hoc prodest, ut ab inmunditia corporali aliquem tueatur, dumtaxat ea, quam superius commemorauimus.

    Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 14.25 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.445, ll.10-13).

13. Ista sunt que sanctitatis causa seruanda sunt. pudicicia corporis. et castitas anime. et ueritas doctrine pudiciciam corporis non consentiente atque permittente anima nemo uiolat.

    Ista sunt autem, quae sanctitatis causa seruanda sunt: pudicitia corporis et castitas animae et ueritas doctrinae. pudicitiam corporis non consentiente ac permittente anima nemo uiolat.

    Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 19.40 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.460, ll.15-18).

14. Castitas animi est amor ordinatus. non subdens maiora minoribus.

    est enim animi castitas amor ordinatus non subdens maiora minoribus.

    Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 20.41 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.462, ll.23-24).

15. In octo generibus mendacii. tanto quisque minus peccat cum mentitur quanto emergit ad octauum. tanto amplius quanto mergit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit putauerit. decipiet se ipsum turpiter.

    in his autem octo generibus tanto quisque minus peccat, cum mentitur, quanto emergit ad octauum, tanto amplius, quanto deuergit ad primum. quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putauerit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 21.42 (CSEL 41, J. Zycha ed., pp.464-5, ll.27-29, 1-3).